



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Regis æterni &c. Declaratio per obitum Alfonsi Aragonii Neapol. Regis,  
Regnum ad Romanam sedem devolutum: Anno 1458.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO  
1454.

cautionis & interdicti sententias huiusmodi incurrisse constituit, tamdiu dominicis aliisque festiuis diebus in Ecclesiis, dum inibi maior populi multitudo conuenit ad diuina, excommunicatos & interdictos, aliisque poenis praedictis innodatos fuisse & esse auctoritate Apostolica declarent & denuntient, nec non ab aliis nuntiari & ab omnibus artibus evitari faciant, donec pro praemissis satisfecerint seu concordauerint, ut praefertur. Contradictores &c.

Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae MCCCCLIV. vi. id. Januarii. Pontificatus nostri Anno VIII.

ANNO  
1455.CALLIXTUS TERTIUS,  
PONTIFEX CXXIII.

ANNO DOMINI MCDLV.

CALLIXTUS Hispanus, prius Alfonso Borgia Anno 1455. Nicolao V. successit. Hic primus Campanas pro Pace contra Turcas pulsari indulgentiis eo sine distributis, instituit. Immo totam Europam contra illos exciuit, sed nullo successu: Monitus a Turca: Christum nunquam imperasse, ut homines ad suscipiendam suam legem vi & armis adigerentur. Obiit Anno 1458. (*Magni Bullarii Romani huius Edit. Luxemb. 1727. Tom. I. fol. 362. App.*)

Ex Cod.  
Diplom.  
I. eibniti  
Tom. I. pag.  
417.

Declaratio quod per obitum Alfonso Aragonii Neapol. Regis, Regnum ad Romanam sedem devolutum: Anno 1458.

CALLIXTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Regis aeterni per cuius inscrutabilem providentiam Reges regnant, vices (quamvis immeriti) gerentes in terris, si de singulorum Christianorum regnorum Regiminibus, ut in spiritualibus salubriter regantur cogitare debeamus de illorum etiam regnorum, quae ad Romanam Ecclesiam immediate pertinent, & quae per praedecessores nostros in sacri Petri sede sedentes in feudum interdum concessa fuerunt, cum concessio huiusmodi cessat, salubri nedom in eisdem spiritualibus, verum etiam in temporalibus gubernaculo cogitare nos convenit; ut Petri hereditas nullo modo distrahat, sed ad manus ejusdem Ecclesiae omnium regnorum matris & dominae reducat, & personis, de quibus praesentis in specula circumspeditioni visum fuerit, prudentia ac matura deliberatione praevia regenda committatur, & subditi Regis pacifici quiete gubernatione latentur.

Sane cum regnum Siciliae circa Pharam, quod de Patrimonio B. Petri existit, & quod olim per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros diversis Regibus & aliis dominis temporalibus successivè in feudum sub certis modis & formis, quos praesentibus haberi volumus pro expressis, concessum extitit, quodque nuper clarae memoriae Alfonso Rex Aragonum a Romana Ecclesia in feudum obtinebat, per obitum ejusdem Alfonso Regis, qui sicut Domino placuit, debitum naturae persolvit, in feudatione huiusmodi per ipsius obitum cessante,

fit ad eandem Ecclesiam legitime devolutum, atque in ipsum regnum quod ad nos pertinet, nemo se intromittere quoquomodo debeat sive possit.

Nos cupientes singulos ipsius Regni regnicolas tanquam nobis, & nulli alteri immediate subditos per nostrae provisionis ministerium sub nostro felici regimine in pacis & quietis amoenitate gubernari, universis & singulis ipsius Regni Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis Praelatis; nec non Ducibus, Marchionibus, Principibus, communitatibus, universitatibus, Baronibus, militibus civibus, regnicolis & habitatoribus quibuscumque tam Ecclesiasticis, secularibus & ordinum quorumcumque regularibus, quam laicis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, conditionis & praeminentiae existant, sub interminatione divini iudicii, nec non anathematis, maledictionis aeternae, excommunicationis in singulos & interdicti in communitates, universitates, capitula, conventus, & Collegia poenis, quas ex tunc prout ex nunc, in singulos contra facientes proferimus ipso facto; de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio pariter & assensu, ac potestatis plenitudine districtius inhibemus, ipsi aut eorum aliquis per se vel alium seu alios directe vel indirecte quovis quaestio ingenio vel colore, alicui praeterquam nobis aliquod fidelitatis iuramentum ratione civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, locorum, aut feudorum, quae in dicto Regno obtinent praestare praesumant seu praesumat.

Quod si forte ipsi aut eorum aliquis huiusmodi iuramentum habentis praestiterint seu praestiterint, nos omnes & singulos, qui iuramentum ipsum praestiterint, ut praefertur, ab huiusmodi iuramentis & temeritate iurandi auctoritate Apostolica tenore praesentium absolvimus, ipsaque iuramenta eis & eorum cuilibet relaxamus, ipsosque & quemlibet eorumdem ad huiusmodi iuramentorum observationem minime teneri, dictumque regnum per obitum huiusmodi ad nos & Romanam Ecclesiam praedictam devolutum fuisse & esse, ac ad nos dictam Ecclesiam immediate & nullum alium tum pertinere & de illo per alium quam per nos ordinari seu disponi nullo modo potuisse sive posse, auctoritate & tenore praedictis decernimus & declaramus.

Si vero aliquis in ipso Regno vel ad illud jus habere praetenderit, aut super eo sua interesse quomodolibet putaverit, nos ad justitiam cuilibet desuper ministrandam, cum in ea singulis debitorum sumus, offerimus nos paratos. Est denique officium Pastorale nostrum sic utiliter providere, ne regnum ipsum tyrannide devastetur, aut vepribus laceretur, sive in praedam detur, ut oves gregis Dominici regni nostri illata & integra conserventur in pace & quiete vivendo; justitia enim & pax osculatae sunt.

Praeterea ne quis de praemissis ignorantiam praetendere possit, seu quomodolibet allegare, praesentes litteras in valvis Basilicae B. Petri Apostolorum Principis de Urbe, ad quam de diversis mundi partibus quam plurimi continuè confluent, affigi publice mandamus, ita ut minime sit ambigendum, quin ad Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Praelatorum, Ducum, Marchionum, Principum, Comitum, Baronum, Communitatum, universitatum, militum, procerum, civium, regnicolarum, & habitatorum, aliorumque notitiam quantocius deveniant &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno M. CCCCLVIII. VI. Idus Julii, Pontificatus nostri Anno IV.

ANNO  
1458.

PIUS II.